



Coronado regimentero
Augusto. Chr. Sturz
Abt. 1869.





PANEGYRICVS.
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO Principi & Domino, Dn.
CHRISTIANO IV.
DANIAE, NORVEGIAE, GOTTHORVM VANDALORVM QVE REGI DV.
ci Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmar.
siæ, Comiti in Oldenborg & Delmen.
horst, &c.
DICTVS
à
CHRISTOPHORO STVRCIO,
Iureconsulto, & Historiarum Professore publico.

Pridie Coronationis, qui fuit dies 28.
AVGVSTI anno cœlo 10 XCVI.



ROSTOCHII,
Imprimebat Stephanus Myliander.

ANNO M. D. XVI.

Rector Academiæ Rostochiensis
MARCVS HASSÆVS
Hebræg linguae Professor.

DEVS æternus Rex, Regiam Maiestatem in terris, altè suprà cæteros homines extulit ac euerxit, vt Dei Imago, ac Dei vices in terris gerens, salutare Organon Dei sit, per quod vera agnitio & invocatio Dei, & seruatorius nostri Iesu Christi, in genere humano late spargatur & propagetur, & sapientia, Bonitas, Iustitia Diuina, in honestis legibus, iudicijs, defensione bonorum, pœnis nocentium, & discipline ac pacis conseruatione, luceat & conspiciatur, ac vt ecclesiæ, veram de Christo confessionem publicè sonantes, & communis voce ac pijs laudibus Deum vnanimiter celebrantes, hospitium & sedem tranquillam habeant. Est enim pulcherrimum & sumnum Regni decus, cum summo Regi, Domino Deo, & redemptori nostro Iesu Christo reverenter obedit: & cum iuxta dulcissimam Psalimi sententiam, conueniunt populi, simul & Reges, ut seruant Domino, & laudem eius annunciant. Qualem in inclito Daniæ Regno gubernationis statum Serenissimus rex Christianus IIII. instituit, & ad posteros Dei beneficio in columem & florentem propagavit. Cum autem huius laudatissimi & sancti Regis nepos, CHRISTIANUS IIII. anno, vt nomine, sic pietate & virtute similis Deo benedicente futurus, Crastina die, solennibus auspicijs, in vicina vrbe Hafniensi, quæ & commercijs, & veræ de Deo doctrine, ac optimorum studiorum societate, Rhadopoli nostra coniunctissima est, Regno inaugurator C O R O N E T V R, vt nostræ eti am congratulationis & vororum significatio extet: Collega noster nobilis & clarissimus Iuris utriusq; Doctor C H R I S T O P H O R V S S T V R C I V S, solenni Panegyrico, incliti Regis virtutes & laudes decantabit, & pro felici, tranquilla, ac diuturna Regiæ maiestatis suæ Gubernatione communi nomine vota faciet. ad quæ, vt singuli priuatas preces suas, in publico Academiæ nostræ cætu, coniungant, & amorem ac reuerentiam erga vicinum Regem jublicitissimam hoc officio declarent: vniuersos & singulos Academiæ nostre professores & auditores hortor, vt frequentes crastina diei horæ VIII. in matri auditorio, Orationi, quæ recitatitur, attente auscultent, & tum pro cæteris Regibus ac Regni Christiani, tum vero pro nostri etiam Germanici Imperij salute, & defensione aduersus Turcas, Deum toto pectore precentur, vt sub illius protectione, tranquillam & quietam vitam, in omni pietate & honestate agamus.

SERENISSIMO ET POTEN-
TISSIMO PRINCIPI AC DOMINO Dn.
CHRISTIANO IV. DANIAE, NORVEGIAE,
Goþorum, Vandalarumque, Regi, Duci Holsatiae, Stormarie,
& Ditmarsia, Comiti in Oldenborg & Delmen-
hof, &c. Domino clementissimo S.



VAE SERENISSIMIS AC POTENTIIS.
simus Rex quondam Daniæ, FRIDERICVS
II. sæ. R. Mts. t. Pater celeberrimus Diuæ
memoriae, mihi eius tum ministro humili-
mo præstiterit, quæ munera amplissima
contulerit, dum memoria saepius repeto, facere non
possum, nec debeo, quin gratum meum animum, quoti-
es licet, quaque possum ratione, ostendam & conteste.

Defuncti quidem optimi Regis laudes per oraui suo
tempore, sed cum animus sincerus sic diutissime perdura-
re soleat, ut oblata eum benc merendi occasio probet &
arguat, atque alia quam è studijs petita ratio pro tempo-
re obseruantiae meæ testandæ non constet, HONORI
sæ. t. Ræ. Mts. i pro die Coronationis publicè habita ora-
tione quali quali tribuendum tantum censebam, quan-
tum alij V I R T U T I T : R : Mts : tribuunt omnes.

Vivis rerum coloribus demonstrate volui, quæ te
C H R I S T I A N V M Regem commendent & deceant
maxime, quod maiestatem Regni in I V S T I C I A: Digni-
tatem Reip: in V I R T U T E utilitatem subditorum in com-
muni hominum S A L U T E consistere censes recte, dirigis
probè, promoues sedulò.

Has porrò voces non solùm pulpita Academiæ Ro-
A 2 stochiensis

stochiensis aliae in summa doctissimorum virorum corona & ornatissimorum adolescentum frequentia personare volui, sed & per vniuersas orbis partes commeare, & omnibus, si ita licet, ut debui quidem non potui, volui tamen, ut potui, manifestas fieri.

Magnum spopondi T: R: Mts: tenui mea oratione, permansuræ gloriæ decus: expromissore tamen T: R: Mts: virtute, indole & auctoritate: magnam inieci spem ex ipsis factis, non verbis comptis; quam ætas honestarum actionum laudibus subcrescens, quam dignitas coelesti virtute concessa, quam deniq; augusta maiestas veltra regia sine dubio consignabit. Et Rex CHRISTIANE Serenissime præsenti semper esto animo, qui mala à regnis T: R: Mts: auertet, præsto est ad sui verbi rectum cultum quasi al ligatus D E V S. Cætera item quæ præstant beatitudinem, quæ pacem, quæ tranquillitatem Deus opt: max: dedit, amicos fide & constantia integros: Consiliarios prudentia & solertia magnos: subditos studio officioq; promptissimos: peregrinos vicinos animis benevolentiaq; addictissimos. His ergò munimentis imperij ut Rex Christiane utaris fruaris felicissime & diutius, comprecati sunt omnes, quos alit habetq; schola Rostochiensis, comprecatae sunt omnes Musæ gratiaeq;, quarum si justam colendarum rationem iniuferis curamq; diligentem, ut T: R: Mts: laudabiliter coepit, habueris, & laus dignitatis in memoria hominum perpetua, & posteritatis commendatio sacrosancta futura est.

Viue valeq; Rex CHRISTIANE Serenissime ad Nestoreos annos feliciter & suauiter: Datis Rostochio prid: Calend: Septemb: anno 1596.

Sacrae Reg: Maiest: T:
humillimus

Seruitor

Christophorus Sturcius.



VI ex hoc loco, quem augustissimum
censimus omnes, Auditores, dicunt:
magnis de rebus differere, & non nisi
perpolita omnia proponere solere sci-
mus, ut vestra benevolentiae gratiam
mereantur; Sed & tenuioribus ingenij aquas au-
res præbere, vestra est humanitatis. Non dicam,
quod ante apud vos differuerim, sapè expertus ve-
stram facilitatem atq; benevolentiam, quā nunc etiam,
dum Serenissimi ac potentiss: ac Domini Principis,
Dn. Christiani IIII. Regis Daniae & Norvegiae ho-
nore pridiè coronationis celebro, vos mihi vestra spon-
tē & diligenter auscultando & iudicando aquamini-
ter & sincerè exhibituros non dubito; ideoq; multis
rogare desino.

Non eo inficias, longè facilius & proclivius esse de-
mortuorum laudes canere quam viuentium: Siqui-
dem mors vita terminus euentu probat illos beatos,
qui in honestissimo virtutis proposito sic præclarè per-
manserunt, ut ex ipsis rerum argumentis viros ma-
gnos, Illustriss: principes ac optimos Reges fuisse ap-
pareat: Hos verò varius vita fortunaq; mutabilis

casus experitur, sors agit, natura impellit, fatum si-
mit; ut viuentium dicere laudes cum non tutum, tum
certe inuidiosum planè sit. Tuto quis laudaverit
hominem? animal natura qui est mutabile, & cuius,
voluntas, teste Fcto, est ambulatoria usq; ad mor-
tem. Inuidiam id adiunctam habet, quod non vir-
tuti sed fortuna: non veritati sed maiestati tributum
censetur. Quinimo si mutatio consiliorum actio-
numq; aliqua fiat, iam virtutis laus vera & solida
homini nec tribui potest nec debet. Itaq; Pescennius
Niger Fmp: rectè censuit satius esse maiorum exem-
pla ad agnoscendum pariter & ad imitandum utilissi-
ma referre quam ut quis viuentes laudet. Nam vi-
uentes laudare, inquit ille, irrisio est, maxime Reges,
principes, Imperatores à quib: speratur, qui timentur,
qui præstare quid publicè possunt, qui possunt necare,
qui proscribere. Se autem viuum placere velle, mor-
tuum etiam laudari. Ut interim taceam, quam sit
inuidia tacitiq; odij plenum, in os præsentem lauda-
re! Quam incertū, dum messis in herba est, spem fru-
gum colligendarum, nō habita sterilitatis & tempesta-
tum ratione, certam sibi facere! Quam deniq; permo-
lestum, si lex veritatis & mīlē in omnibus studijs,
institutis, ceptis, consilijs, statutis non apparuerit, lau-
des primas retexere & velut Palinodiam canere.
Lex item sapientia diligenter aduertenda est, ut ex-

trema

tremis primis congruant. Hac non leuis argumenti momenta à tanto Imperatore proposita continent, hac varia cogitandi materiam præbent, hac ab instituto deterrendi vim maximam habent.

Verum enim uero in priuatis hominibus id usu venire videmus, quod gloria unius etiā benè gestæ rei calcar addat ad maiora suscipienda, & animus honore, quasi alimento excitatur & nutritur ut egregia virtutis opera deinceps quoq; Εβαγ̄ιος νὴ αμετανίντως continuet. Siquidem nascentes in prima etate & suppulentes virtutes, ut Theophrastus auctor est, recte factorum fulciuntur laudibus, adolescuntq; in reliquum animo excitatae. Quid ergo de principe benè nato, fideliter educato & feliciter ad omnes virtutes excitato, non speramus optima? cum Reges ac magni Principes à Ione geniti & enutriti propterea Homero dicātur quod maior in animis eorum vis insit virtutis tamen discenda tum exercenda: Nam ingenij vis multum valet. Quæ ēras & dia φέρουσα Biōtav, ait Pindar: in Nem: Od: 7. hoc est, Indole & naturali propensione singuli in vita differimus sed in præclaris animis mox se prodit.

Ingenium coeleste suis velocius annis
Surgit.

Atq; ut non speremus solum bene de Rege
Dania moderno CHRISTIANO IV.
sed

sed plane etiam exploratum habeamus non vestigia illum duntaxat Maiorum suorum, proavi, avi, patris laudatis: Dania Regum secuturum, sed etiam res gestas eorum exsuperaturum multa mouent, plura persuadent, plurima contestantur. Mouent, nomen, indoles egregia, exempla domestica, mores integri, pietas modestia, virtus; quam uno nomine iusticiam appello, quod ceteras in se virtutes continet omnes. Contestantur facta, virtutis modestia ac pietatis plenissima. Aduertite, auditores, Iunuenem vobis hic Regem sisto non corpore sed animo conspicendum, non ex genere sed ex indole, non paterna, sed propria virtutis merito laudatis: ac potentijs: Dominum. Deo autem orationis cursum prosperate cognoscetis, auditu grata quae sint, populo Danico salutariâ, & toti terrarum orbi admiranda, fauete animis.

Nomen est CHRISTIANVS QVARTVS
DANIAE ET NORVEGIAE, Gothorum,
Vandalorumq; REX. Augurijs plena sunt
omnia, & crastina die solenni ritu maiorum, precibus
sacris sacerdotum, votis pijs Principum & magnatu, comprecatione procerum & subditorum, Princeps
CHRISTIANVS in Regem Dania inaugurabitur.
Augusta sunt omnia. A CHRISTO enim vi-
tae salutisq; auctore fuit auspicio. Hic beatitu-
dinis

dinis est fons, hic terminus: à quo qui incipit felix est:
in eum qui desinit felix est. Felix ergo in Rege
Christiano beatitudo est, dum nominis fungitur offi-
cio: felix ipse, dum Christum auctorem nominis \mathfrak{G}
vita sequitur suum. Itaq; non virtutes in hoc
Christiano Rege maiorum celebrabimus: alienum
enim \mathfrak{G} fortuna bonum celebratur essemus.

Quanta tamen in Friderico I. virtutis, pietatis,
ac iusticia commendatio! pleni sunt omnes libri, ple-
na sunt vetustatis monumenta. Quid dicam
 \mathfrak{G} inculcem, iam satis quæ sunt explorata omnibus?
In Christiano III, diuæ memoria optimo Rege,
quis non miratur augustam maiestatem cum singu-
lari Zelo pietatis coniunctam? quis non exemplū sin-
gulare cultus Christianæ religionis suspicit summope-
re? Quis in eo fructum pietatis, qui est æterna nomi-
nis commendatio, \mathfrak{G} animæ salus, ac beatæ vita
perfructio, non agnoscit? quis non congratulatur genti
Danicæ, quod eiusmodi Regem habunt, qualem vix
multa secula non tulere. De Friderico II. pau-
ca si dicerem, fortè honori virtutum ipsius amplijs:
aliquid detraxisse viderer: præstat ergo nihil quam nō
sufficienter dixisse. Heros fuit fortis in bello, domi
iustus \mathfrak{G} equanimis, utrobiq; prudens, Sagax, ani-
mosus liberalis, et in ſama Rex laudatissimus, de quo
illud Homeri usurpare possem⁹, οὐ πθ' ὄμοις ἐμφρεπῆ πυῖς
επιπτέχειτ βασιλεύς, ὡς Λεύκος κύδος ἐδωκεν.

His parentibus magnis Heroibus, Dei ministris,
quos Regius Propheta Deos in terris appellat, Chri-
stianus Rex natus, satus, ortus est. Magna vis est
in origine prima, magna felicitas est meminisse
præstantiis: auorum, maximè cui generosa indeles
dedit, ut se ad præclariss. domestica exempla vitamq;
componant suam. Age asseramus, quodcunq; decus
in generis splendore, quicunq; honor e sanguinis Regij
Claritudine, quacunq; dignitas e præstantissima re-
gia pro sapientia contigit, totum id in umbris Christiani Re-
gis amino consignatum; Et maiestatem imperij splen-
doribus eius virtutum proprijs condecoratam, re pro-
pius inspecta, intelligemus.

Fubemur in laudando heroës ~~uelū~~ oꝝāv, ad genus
respicere, teste Homero, magna subest causa. nam
character animæ est generis nobilitas, ut dum eius
memoriam quis tenet, nihil faciat vel dicat, ab ea
quod sit alienum: Sed virtutis studio, honestatis
cultu, vitaq; perpetuo tenore, vitam tanta claritu-
dine dignam exigat. Id quippe probrum est, in nobis
defecisse gloriam maiorum, id trahit secum infami-
am, si cui iure obiciatur, Infelix pater, qui tam de-
generem procreauit filium.

Hec infelicitas verè magna in priuatis familij
luctum parentibus, cognatis, amicis affert: in publicis
verò Regum & Principum domibus, ut sunt omnia
splen-

Splendidiora, & ipsi prosapia Labem & Reip: pestem
causatur & apportat. Quò ergo illud Iesaiæ Pro-
phetæ spectet: Dabo ipsis, inquit Ichona, in furore meo
pueros Reges, & effeminati dominabuntur ijs; satis
ipsi intelligitis, pœnam esse gentis, Heroum liberos
degenerasse. Sed enim quantò in Maioribus Chri-
stiani Regis virtus virtutisq; laus maior, tantò in
ipso manifestiora virtutis opera sunt omnia. Quip-
pe in homine benè nato ipsa indeoles spendet optima,
cui si accedat optima vita institutio & assuefactio re-
cta, iam fundamenta virtutis veræq; laudis iacta
esse quis non videt? Nam ferociissimos pullos, ubi re-
ctè docti & formati essent, in generosissimos equos
euadere, dixit magnus ille Imperator apud Atheni-
enses Themistocles. Et non solum in violentijs,
sed & in ambitionibus & stomacho præclara indeoles
& bona institutio mentem, teste Plutarcho, tempesti-
nè coercet, & componit rectè, & hoc sibi proponit, ut
vnam perpetuò viam iusticiae & veritatis calcet &
ingrediatur. Est enim propositum adnotatio inte-
ridi & certâ mentis intentione aliquid cum laude
perfungendi. Quod verò rectius propositum, quam
Christianum esse? quæ melior institutio? quæ iustior
assuefactio, quam Christianum esse? Omnia in hoc
nomine sunt augusta, sunt grata, sunt delectabilia:
& qui huic nomini satisfacere vult, & constantis

animi virum, & præstantis virtutis Heroem esse oportet. Huic igitur dum nomini Christianus Rex Danie satisfacere studet, officij regij subductas certasque perdidicit rationes; Et didicit rectè cognovit probè: edocitus à magno, perpolito & egregio viro nobili & Iureconsulto Henrico Ramelio, alijsqz, qui huic rei sacrae, educationi nempe regiae adhibiti fuere. Nam ut cætera omnia prudenter sic multum interesse sapienter existimabat Fridericus II. Rex Danie Pater huius Regis laudatissimus, quomodo quisqz à teneris annis institueretur rectè, quibusue præceptoribz familiarius vteretur; & proinde summa animi contentione & cura id egit, id cogitauit, id perfecit, ut filij, columnæ domus regiae, instituerentur rectè. cum enim Principem agere nemo debeat, nisi quis edocitus subeat, utiqz magna in ea re cautio adhibeda est. Homini insunt igniculi quidam virtutis discenda, et consequæ; quibus si formæ rectè à bono & cordato præceptor subiiciatur, à quo accendantur & augeantur, ita actum bene cum homine agnoscimus, iam præclaræ egregie indolis fundamenta iacta dicimus, quibus ad perfectum virtutis & sapientia opus etas maturescat reliqua. Audite Senecam. Semina in corporibus humanis diuina dispersa sunt: quæ si bonus cultor excipit similia origini prædecent, & paria his, ex quibus orta sunt, surgunt: Si malus, non aliter quam
humus

humus sterilis ac palustris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus.

Sic ergò animi rectè informati parentes, instè appellantur præceptores boni & fideles: Sic ipsis gratia par nunquam reddi potest, qui discipulis bona fide, & certo studio, bonum eiusmodi contulerunt, quod nec pretio estimari nec ullo beneficio satis dignè compensari potest. Siquidem bonam homini mentem inserere, longè est difficilius, longè præstantius, quam procreare hominem. Idq; sua epistola Philippus Rex Macedonum ad Aristotelem data testari nō dubitauit. Filium mihi genitum scito, quod equidem dij; habeo gratiam: nō perinde, quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci cōtigit temporibus vita tua, spe-
ro enim fore: ut edocitus eruditusq; abste, dignus ex-
istat & nobis & rerum gestarum successione. Et Alexander Magnus præceptorem suum Aristote-
lem charum habuit, non secus quam parentem, quod
huius beneficio viueret, illius honestè viueret.

Tibi ergò Henrice Ramel, vir magnifice & nobilissime, tibi inquam viro optimo & integerrimo & cateris tuis collegis egregijs viris, Rex Christianus multum debet, tibi illisq; tota Respub: Danica mul-
tis nominibus deuincta est, Regem quod ipse insitu-
isti, supremus morum vitæq; inspecto bene, docuisti
rectè, Regem bonum, benignum, clementem, pium et

liberale vestris efficiuntis monitis, & sic genti Danica addictus, ut integrum fidem prædicet omnes, sic eius gentis inclytæ studiosissimus, ut tuū honorem ad suæ virtutis prædicationem pertinere arbitrentur, sic virtute, prudentia & solertia cognitus, exploratus, gratius, ut tuo uti frui consilio non dubitent. Itaq; collatos maximos publicos honores huic magistro morum, & quidem in consilium regni publicum unum cum ceteris magnis viris esse cooptatum, accepimus, ut cuius voce Regis pueri, itemq; adolescentis aures personabant, eius item consilia, in publicis Reip: negotijs moderandis ac dirigendis, iam Rex coronatus, audiat, admittat, consecetur.

Quo porro indicio mens honesta in Rege Christiano sese ostendat, videamus. Recte Vegetius ait, Nec quenquam magis decet vel meliora scire vel plura quam Principem, cuius doctrina omnibus prodesse potest subiectis. Sed cum unus vir omnia non videat, & multorum sensibus indagata facilius apparent, laudabile honestæ mentis institutum in Rege Christiano agnoscimus, quod non solum suæ non vult prudentia inniti, sed etiam modum vita & Imperij, non motum animi, sed legem, non cupiditatem, sed honestatem, non affectum, sed consilium amicorum vult esse. Certè magna laus & virtutis magna propria, quando meritis offertur inemitus pura mente fa-

tefauor. Christianus ergò Rex eorum, qui usū rerum prædicti sunt, quinē Patri suo Frederico II. Regi optimo, operam præstiterunt bonam, quantumuis aetate defecerint, & senes sint, negligit neminem. Sed recipit in consilium, ut eorum prudentia utatur, fruatur; fouetq; alitq; regaliter; ut benemeriti studij ante Reip: præstigi gratiam agnoscāt habeantq;, à quibus, non equitis, non peditis in prælijs munus, sed consilium duntaxat requirit.

Quanta fuit prudentia ciuilis! quanta sapientia singularis! quanta virtus honorabilis in Illustri viro Domino NICOLAOKAAS Cancellario FRIDERICI II. Regis optimi præstantissimo! commune is fuit bonum toti Reip: Danica, fuit præsidium miseris, fuit ornamentum patriæ. Defunctus pia morte seu potius in cœlestem patriam translatus per gloriam, per memoriam rerum gestarum in memoria hominum cum omni celebritate viuit vivetq; perpetuò. Ad cuius exemplum ut compèt & eleganter se à prima adolescentia composuit Christianus FRIESE, sic qui in defuncti locum substituere- tur magno cum omnī consensu & applausu, dignus visus est.

Viuat diu, quem Deus, ut Reip: Danice bono publico esset, excitauit! Viuat, quem gratiae & Musæ enutriuerūt! viuat Christianus Cancellarius optimus,

qui

qui CHRISTIANO Regi Serenissimo consilia pro-
spere suggesteret, negotia dextre illius diriget, res omnes
rite expediet.

Senem audiuitis esse magnisq; perfunctum ho-
noribus CHRISTOPHORVM VALKEN-
DORPHIVM, questore Regni; qui magna cura,
summa fide & singulari dexteritate sub FRIDE-
RICO II. ex primarijs consiliarijs egit dignissimum,
ex Quatuoruiris, qui Reip: gubernanda curam mul-
tis annis sustinuerant, unus etate, prudentia & suae
virtute præstantissimus. Hunc nulla, quantumuis
varia experta, depresso fortuna, sed virtus integræ
erexit semper: hunc nulla deiecit inuidia, sed gloria
& memoria honestorum consiliorum prouexit al-
tius. Summum quod est in Dania summa digni-
tatis decus huic attributum est, Praefectus prætorio
seu magister aulae qui esset. Hunc senem iuuenes au-
diunt libenter, quorum parentes eum iuuenem audi-
re non recusarunt.

Quanta auctoritas ex virtute, quanta dignitas
ex meritis fuit GEORGIO ROSENKRANTZ,
cuius antiqua & integra fides, prudentia civilis &
experientia mirabilis cum pietate coniuncta eternam
apud omnes posteros faciet esse memoriam.

Nec silentio prætereundus D. PETRVS
MVNK, maritima rei peritissimus Imperator,
& cui maiora dignitatis ornata menta tribuerentur
dignissi-

dignissimus. Quid ceteros è magnis familijs prognatos HACKE VLFSTAND, IACOBVM VLFELD, STENBRAHE, MANDRUP PARSBERG, ARNOLDVM VVITHFELD, ENVALDV M KRVSE ceterosq; quorum nobis grata est memoria, commemorem Duces, heroas, Dominos & Patronos illustres, præstantissimos, magnificos & obseruandissimos, quorum una fides, una mens, una optio, Repub: ut sit salua, Rex ut magnus, ceteraq; priuatim & publicè tranquilla ac florentissima. Nec quos dedit vicina Germania, HENRICVM BELOVIVM, HENRICVM RAMEL, CASPARVM PASELICH, CHRISTIANVM BERNEKOVV, viros ingenio, prudentia, usu rerum, eloquentia & insigni eruditione præstantissimos optimeq; de Repub: Danica meritos Rex CHRISTIANVS negligit, sed inter suos DANOS deligit, ut & publici muneris & publici consilij particeps eos effecerit, Danisq; comunixerit, & ad summam dignitatem euexerit, Quid? commemoremne illustrem ac nobilitate virtutis scientia & præclaræ pariter ac generis amplissimi præstantiss: heroem, Dn. HENRICVM RANTZOVIVM PROREGEM Holsatiae, qui lumine magna experientia præxit multis, qui trium Regum Dania, laudatis:

C

heroum

heroium Consiliarius fuit, qui in summa, sed vegeta,
senecta tantum animi vigorem refert, ut vita inte-
gritate, scientia omnijuga varietate suis hominibus
ornamento & exemplo: extraneis admirationi:
doctis stupori: ceterisque presidio incitamentoque sit.
Hunc Rex CHRISTIANVS suspicit, ut alterum
Nestorem: hunc audit, ut Patroclum Achilles: hunc
veneratur, ut patrem filius.

Vix mihi creditis, sed credite, Troia maneret, tra-
ceptis Priami si foret usq; sa senis. Ecce quam suauiter!
quam admirabiliter! quam sincerè mens honesta in
nostro Christiano Rege se se ostendit! aperit! prodit!
Ut semibus qui sunt capite candido in Dania gau-
dium subeat animo: quod tam exoptatum naeli sunt
Regem, ut juuenibus spes certa detur, præmijs virtu-
ti datis & paenit nocentes manentibus, fore Remp:
Danicam felicem & verè beatam, ut peregrinis de-
tur intellectus, in quo Rege tanta initio regni suscepti
emicat virtus, de eo nil nisi magnum, eximum, lau-
dabile præsumendum.

Sic ergo qui Christo nomen dedit, qui à Christo no-
men deductum habet, Christianus verè dicitur, & à
Christo mentem bonam habet. Nulla enim sine Deo
mens bona est, Iouis mens magna gubernat sortem
virorum charorum. Sic præclarum Alphonsi Regis
Arragonum sententiam accepimus, Regis animus
nullius priuati hominis regitur arbitrio. Quare
sereniss:

serenissime rex Christiane id optamus, id compreca-
mum, omnibus diebus vita tua in mente habeto De-
um. Sic vim rei cuiuscumq[ue] bona & perficienda agnosces:
sic felix in consilijs & actionibus eris: Sic Christiani
nomine iure optimo tueberis. Inter homines id quidem usu
venit, ut tales sint mentes hominum, quales pater ipse

Iupiter auctiferas lustrauit lumine terras.

Sed in honesto proposito in omni fortuna perman-
isse, viri est prstantis, & nec quicquam à statu vir-
tutis dimoueri posse, viri est constantis. Et quod
miramur merito, rectè monentes rex Christianus au-
dit labenter, requirit item ab amicis orationem sapè
seriam. Nam ut sal carnes confitando non patitur
dissipari: ita Regis adolescentis animum, quem po-
tentia huc illuc impellit, coercet oratio veritatis.

Mores integros ex ipsis rerum argumentis nunc
porro cognoscatis quo&so.

Gratitudinem M. Tullius Cicero matrem vir-
tutum ideo dixit, ut qui nouit esse gratus, in eius ani-
mo ceteras quoq[ue] virtutes con sedisse censeamus, que
sua uissimam in tota vita reliqua harmoniam effici-
ciunt, Mutuo enim se respiciunt mutuasq[ue] trahunt
operas virtutes, & cognitionem quādam inter se ha-
bēt, ut qui gratus non est, eum nec bonum, nec iustum
dixeris, nec fortem, nec temperantem hominem, sed
qui sua virtuti præmia detrahat &, quantum in
se est, ius humanae societatis violet, quippe ingra-

to animo vix magnum facinus acreuit unquam.

Sed noster Rex Christianus est & fidelissimus virtutis cultor, & honoris cuique custos optimus. Itaque patris amicos & consiliarios, non attento unde sint, sed quales quamvis benemeriti sint, suspicit, audit, & colit, benemeritos fouet & promouet, ministros alit, ac spe & re erigit, & neminem benemeritum in paupertate vivere sinit. In summa: non patitur serenissimus Rex præclara virtutis monumenta, ingrata apud se iacere. Itaque nobilitas virtutis ab ipso non obscuratur sed illustratur; non conspurcatur sed honoratur. Gratitudo virtus maxima è pectore Christiano promanat. O sedes alma virtutum! ô fons honestatis amplissimus! Quid? iamne spes est, Christianum fore bonum Regem, fore liberalem, fore benignum, qui iam talem se esse, qualis haberiri vult, ipso opere demonstrauit; & sic demonstrauit, ut communem hominum naturam & consuetudinem magna virtutis laude superarit.

Quid? nonne vox Poëta, vox naturæ attestans est?

Gratia præteriti nulla laboris erit.

Et illud Pindari:

ἀπύραντες δ' ἀρθεων, πλαγαὶ δ' ἐρδαιχάρεις. Multi benemeriti viri nimis verum esse agnouerunt.

Inter plurima quippe alia maximaque aulae vitia nullum est frequentius, quam ingrati animi vitium.

Quin

Quin verò hoc solenne est in aulis, accipere iniurias
et gratias insuper agere. Nemo enim habendam gra-
tiā pūtat, quod rebus suis pro arbitrio vtatur. Quip-
pe id sibi deberi iure autumat, non attento, quis pri-
mū adiūcerit et promouerit.

Cum in Caroli Quinti consilio, confecto bello Gal-
lico, de captiuo Rege Gallie dimittendo tractaretur,
Episcopus confessor regius, qui veteri more in consilio
regum Hispaniae primo loco sententiam dicit, multis
verbis suasit, Regem Gallie, nulla pactione alia, nisi
qua ad perpetuam amicitiam et pacem et Christia-
nae Reip: salutem pertineret, pristina libertati resti-
tuendum: ita enim perpetuò Gallum accepti tanti be-
neficij memorem et Cæsari amicum et fidum man-
surum esse ostendit. Ediuerso Fridericus Alba dux,
hanc sibi rationem non placere demonstrauit. Quod
Episcopus Gallie regem pro tanto beneficio Cæsari gra-
tam et fidum fore existimat, id hominum naturam
et mores diligenter consideranti prorsus contrarium
videri. Nihil enim celerius memoriam beneficiorum
apud homines interire, et quā maiora sunt beneficia,
eo maiori maleficio usitatē compensari, et quos eo
redactos fuisse, ut beneficio opus habeant, pudet eos-
dem se illud accepisse, indignari. Iam verò hanc na-
ture vim, quā nouitatis est cupida, quā merita non
agnoscit, quā veteres et in primis patris amicos et

confiliarios spernit, adolescentes nouos Oratores eligit, usu eductos respuit, cuiusque exsuperasse, quid? nonne virtutis magna est commendatio? nonne propria nota?

Sic me Christe sentio, magnum hoc est continentia argumentum, id quod plerosq; facere vides, non facere velle, id quod cum venia styli communis statuere possis, nolle: sed contraniti, contraria virtutis opera facere & testari, viri boni & constantis est decus.

Hanc porro gratia referenda rationem plus ultra Christianus Rex protulit, non contentus eam saltem hominibus testari, sed & Deo eandem summa cum laude probare vult.

Deum vite sua auctorem agnoscit: Christum a quo nomen & salutis aeterna vim, cooperante Spiritu sancto, habet, verum Deum & verum hominem agnoscit, sui regni antistitem & conseruatorem, quam Iehoua unum, alium non habet, alium non veneratur, alium non admittit, remota omni Idolatria & superstitione. Sic fecere proavis, sic avus, sic pater, Reges Daniæ sacratissimæ memoriae. Horum vestigia subsequendo, Ecclesias, scholas, Ptochotrophia sarta tecta conseruat, atq; ut Homerus Iliad: π. de Sarpedone Lycie Rege affirmat, ὃς λυκίων ἐγενότο δικαιοτερος Δίαι τῷ: sic sereniss: Rex Daniæ propositum sibi habet, ut Regna sua iusticia & robore tucatur & gubernet.

bernet. Et in summa hoc, iuuenis quantumuis,
Rex fecit, ordinauit, constabiluit, quod summum
Reipub: bonum non immerito dixerim esse, ut refor-
matæ Religionis pura doctrina, laudatissimo maio-
rum suorum studio propagata, in tota Dania, in tem-
plis et scholis sonet et conseruetur. Hem cautio magna
retinendæ libertatis ac felicitatis regni florentissimi!
Vagæ disputationes, quæ nihil ædificant, offendunt
autem plurimum, haberi prohibuit, in simplicitate &
veritate Religionis Christianæ vim consistere rectè
existimans. Maecte virtute, qui, occasione remo-
ta, nocentissima mala tollere probè instituit; Seditio-
nem ex Rep: secessionem à veritate!

Quò enim Germaniam patriam nostram chariss:
disputationes illæ, quò de mysterijs & rationi huma-
nae absconditis rebus disputationes impulerint, in quas
varias sectas diuiserint, distracterint, quis non in-
telligit? quis non cum dolore ingemiscit? rerum nisi
qui omnium est imperitus. Certè si generosa in-
doles debilitatur & comminuitur, in istas argutias
coniecta; quid dubitandum, quin veritati diui-
nae vis inferatur disquisitione humanæ rationis?
quæ cum non potest diuina intelligere, corrumpit. Sa-
tius ergo est scientia Dei aliquid concedere, secreta
secreta, sancta sanctè tractare, & non inquirere facta
supremæ illius maiestatis.

Quo-

Quoniam ergo Rex Christianus tam pius, tam religiosus, tam veritatis simplicis amans est, id rursum spondemus eius Regiae Matri, id contestamur fore. Pietas perpetua eius custos erit, ne quid mali vel ipsi vel eius Reip: accidat, ne fatum: quod solus Deus novit auerruncari: ne vis belli, ne malus Daemon quicquam incommodeat, inquietet, vel noceat.

Nam recte Nicephorus affirms, Principum salus vera, pietas sola est. Sicuti contra, illâ remotâ, nihil prossunt exercitus, equi, satellites, ensium vis, virorumq; innumerabiles copia, aurum item & argentum, plurima terra ingera & quicunq; aliis prae-re a est apparatus. Religionis puræ ac orthodoxæ conservatio, stabilimentum est Imperij ac Regni certissimum; murum quo ipsa suum ac parietem, dum sibi præstantur tranquilla halcyonia, sartum tectum ac immotum seruat.

Veritas lumen vitae est & sui amatores omni posteritati magna cum nominis celebritate commendat. Nihil ergo est, teste Iohanne Archiepiscopo & Patriarcha urbis Romæ, quod lumine clariore præfulget, quam recta fides in principe: nihil est, quod ita nequeat occasui subiacere, quam vera religio. Nam cum auctorem vite vel luminis utraq; respiciant, rectè & tenebras respuunt, & nesciunt subiacere defectui. proinde quo principum ac Regum conditio mitatur, est

pius

pius Dei cultus, & inter cetera in eo consistit, ut
persuasum habeant, Deum omnia in omnibus agere
& scire, quid quisq; agat, quid in se admittat, qua-
mente, qua pietate religionem colat, neq; ipsum late-
re quicquam, quod homo vel bene vel male agat.

Serenissime Rex Christiane, si, quemadmodum
Deus totum mundum benignitate fovet, et tu simi-
liter feceris, tuiq; similis, hoc est, Christianus Rex per-
manseris, nunquam impinges & delinques, nam
qui pietatem quasi fundamentum in pectore suo con-
struxit, is in aduersis amuletum, et in secundis rebus
temperamentum inueniet accommodatissimum.

Quid Constantiū Magnum tam fecit ma-
gnum! tam admirabilem Principem! ut publico bono
natus esset ac diceretur? Pietas & doctrinae Chri-
stiane zelus, quam repurgatam ab heresi conseruare
voluit: qui nulla vi aut multitudine hostium per-
celli, nulla vel difficultate frangi vel molestia debili-
tari, nullo deniq; periculo deterreri potuit, quin Eccle-
sie instaurandae & religionis propagandae curam
susciperet. Id inter alia argumenta Concilium Ni-
cenum testatur, in quo maiestas & Diuinitas Chri-
sti ab Arrij erroribus vindicata est, cuius Concilij cele-
brandi rationem hanc prescripsit: Εὐαγγελικοὶ Σιβλοὶ
ηγὶ Ἀποστολοὶ καὶ τὸν παλαιῶν περιήγητων τὰ θεωρίσματα συφῶς
ημάς, αἱ χρὴ τοῖς Θεῷ φρονεῖν ἐκπαιδεύσοι, τὴν πολέμου ἐν δύπο-
λαιταντες ἔριν, σὺ τὸν θεωπνέυστων λόγων λάβωμεν τὸν Σητεμέ-
ρων τὸν λύσιν.

D

Quid!

Quid sanctam Caroli Magni memoriam fecit? quid seruauit optimum Principem inter tot vitæ sibi structas insidias? Pietas, & quod ad alias gentes veram Euangelij doctrinam propagauit. Quia Saxones re vicit? Religionis virtute & admiratione.

Quid tamen commendabile, tamen apud omnes vicinas gentes celebre fecit nomen Christiani III. Regis Danie huius moderni Regis cui ut memoria sancta in animis hominum hæreat? Pietas; cuius hunc fructum tulit maximum, quod florentissimum reliquit filijs Imperium, quod varijs intestinis discordijs turbatum inuenierat, & quod cœlestis gloria bonum, dato in agone mortis eius indicio, consecutus est.

Magnus ergo quæstus est in pietate, tamen principi viro quam priuato homini, ut vita & salutis instituenda & consequenda certa & subducta ratio omnibus constet.

Quantò autem maior est dignitas Regis aut Principis, quantoq; Deo proximior, qui sic animatus est; Lex qui animata in terris atq; inter homines Deus aliquis est: tantò hæc virtus magis ipsi necessaria esse videtur, sine qua ceteræ virtutes omnes manca, imperfectæ, & nullæ sunt: Et quidem ut pariter Deo placeat, & hominibus satisficiat.

Quid quæso pulchrius? quid optabilius? quid de-

nig;

niq^z melius, quām Auctori suā vitā, Deo Opt:
Max: placere? ab eo, mente, animo, cogitatione
pendere? Hęc, hęc, demum est optima, hęc sua-
uiissima voluptas, in DEO latari posse. At
homo peccato obnoxius quomodo sanctissimo DEO
placere potest? Quę impurissima creature ad pu-
rissimum creatorem comparatio? quę condigna
collatio? Accipe, dicam suis quod nequit viribus
homo, id misericordia, id gratia, id veritas supplet,
dat, perficit. O quanta est φιλανθεωπία & miseri-
cordia Dei, quod ad peccatoris voces exaudiendas
se arbiter rerum dimitit! O quanta est gratia—
per & propter aliena merita recipi damnabilem—
spurcatum & inferis dicatum hominem! Et
veritas in DEO quanta! quanta eius contesta-
tio!

Qui credit in filium Dei IESVM CHRISTVM,
saluabitur. O quanta dignatio Dei, patrem homi-
num esse! O quanta hominum gloria, Dei fi-
lios esse & heredes! Hunc sibi paret Princeps
thesaurum, hunc priuatus, hunc omnis homo,
cui eterna salus cura est, at cui non summum
bonum cura esse debebat? Compunctum agni-
tione peccati animum, lachrymis pœnitentiae
irrigatum cor habeat, sed sanguine C H R I-

sti conspersum; hoc sacrificium Pietas offert Deo
in devotione gratissimum. Et sanè dum homo
tale sacrificium offert, non negligit interim præcepta
sancti Domini præcipientis, sancti Saluatoris interce-
dentis, sancti paracleti adiuuantis, quin suspiraret in
humilitate, quin gemat in infirmitate, quin voneat
in spe & veritate. Ut desunt vires, tamen est
laudanda voluntas.

Hic thesaurus Principi Christiano est proprius &
maximus. Quid est quod huic non largiretur, omnia
qui solus dat, pio fideli & sui amantissimo ministro.

Iam porro si fons vita, si pharmacum anima, si sa-
lutis consignatio in homine & maximè in Principe
viro fuerit, id est, recta fides, & pietas solida, quid
dubitamus, quin latices succum eundem bonum &
suaevem trahant, & se in omnes vita partes trans-
fundant? Nemo pius qui est, bonus non est vir, nil
enim nisi Deum bonum respicit. Pius qui est, Chris-
tianus est, solum enim Christum admiratur. Ergo
Christianus qui est, bonus est, & omni virtutum ge-
nere præstantissimus heros.

Quis affectus in pio homine? moderatus. Cle-
mens ergo erit, quicunq; Deum misericordem intel-
ligit, peccata quotidie condonantem, οὐ ποτε ἀνταγωνίσει
θεῷ σεβουμένη. hoc est, misericordiam & qualitera miser-
cordia Deus rependit.

Quis

Quis inquam affectus in pio homine? pius certè.
Benignus ergò liberalis, beneficus erga pauperes, sup-
plices, egenos, viduas & pupillos erit, qui gratiam
Domini agnoscit, quod dispensator bonorum seculi
huius & index miserabilium personarum constitutus est.

Hoc Reges habent Magnificum & ingens, nulla
quod rapiet dies: Prodeesse misericordia, supplices fido lare
protegere.

Id proponit Seneca sapienter, idem sapientissimus
Salomon contestatione quadam confirmat, Rex in-
quiens, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius
in aeternum firmabitur. Nullum ergo aquæ conne-
mit Regi, ac iusticia munus. Mars enim est, ut
ait Timoth: Tyrannus. Lex vero omnium ut apud
Pindarum est Regina. Et Reges, Homerus auctor
est, non Helepoles ab Ioue, neq; aratas naues; sed
legum oracula accepere in depositum & custodiam:
Iovisq; non bellicosissimum nec violentissimum, &
cruentissimum Regem, sed iustissimum alnum &
discipulum vocauit Plutarchus in Demetrio.

Id facere laus est, quod decet non quod licet. Cer-
tè moderatio animi, res est præclara, cuius hæc est
vis, ut quis nec aduersa præpostera festinatione fu-
giat, nec secunda effuso gaudio apprehendat. Atq;
cum semper, tum præcipue in imperio egregium est,
metiri quantum queas, neq; ambitione præceps agi
malis.

M. Antonius philosophus Imperator tam egregius fuit Princeps, ut eius laudes mirari quis facilius quam dicere posset. Is cum omnibus Romæ aquo iure egit, ad nullam elatus insolentiam Imperij fasces, liberalitatis promissimæ prouincias ingenti bennitate & moderatione tractauit. Idem si de Friderico II. Rege Daniæ affirmarem, haud me aberrare puto.

Sic serenissime Rex CHRISTIANE si agere institueris, acceptam adorem coherestabis, gloriam rerum gestarum accumulabis, & memori-am ad omnes posteros dignè propagabis.

Accepimus more id quidem antiquo apud Danos receptum esse, ne cui nobili vita admatur, quantumvis grauiter delinquenti, & quis politicus non censet, minimè mutanda esse ea, qua diu aqua visa fuere. Sed quid CHRISTIANVS IIII. REX electus Daniæ, pietate suggestore, fecit? quid censuit? Pietati cognatam esse iusticiam existimauit scitè. Reos ille grauioris sceleris, non habita ratione priuilegij, nec attenta nobilitate, suppicio adfici insit.

Nam qui peccat, cum Rep: male contrahere dicitur, cuius potior ratio habenda est, quam cuiusquam vel dignitatis, vel necessitudinis. Et quid obstat

obstat pœna dignitas, quam peccato amitti scimus? ne interim dicam, quod innocentia tributum est, priuilegium haud recte ad facinorosos extendi posse, quos è medio tolli Reip: interest. Nam impunitum scelus non solum alijs minatur iniuriam, sed totam sapè Rempub: euertere potis est. Non est de nihilo, quod morio Regi cuidam Gallia dixit, querenti, veniam tertij homicidij à se peti: primum homicidium, inquit morio, perpetrauit reus, tu secundum & tertium: nam si primi veniam illi non dedisses, vnicum illud commisisset. Praeterea ergo Totila Regis Gothorum sententia sit in promptu: Eiusdem ingenij est, delicto se obstringere & delictorum suppicia impedire.

Quapropter magna est laus, quod CHRISTIANVS, Daniæ, Norvegiae, Gothorum, Vandalarumq; Rex, iusticie amorem, designatus & electus etiamnum adolescens, animo concepit, & in eodem proposito adhuc perdurat ac recte & sapienter Thronum Regni sui illâ stabiliri posse censem: in altero virtutis genere, Religionis nempe & fidei rectæ cultu DEVVM demereri: in altero, iusticie nimirum exercitio, DEVVM imitari cupiens. O præclari instituti pulchra ratio!

Nam

Nam qui sequitur iusticiam & misericordiam, inueniet vitam, iusticiam & gloriam.

Nec verò reperimus aliud iusticia principium negr, aliam generationem quām ex Iehoua et communia natura. Cum ergò ex Deo sit iusticia eiusq, Throno semper aſſideat, quid præclarius? quid laudabilius? quid utilius? quid deniq, rectius fecerit Princeps? quām si iusticia opera exerceat, iusq, ex aquo & bono administret omnibus. Natura autem principium iusticia sic agnoscit, ut æqualitatem seruet, prout ratio vel dignitatis persona, vel commercij in proportione Geometrica vel Arithmeticæ dictauerit.

Quandoquidem ergò virtuti honos & gloria honestis studijs, velut permansuræ rei merces debetur, quid mirum, quod Dani, homines incliti, hunc sibi designatum & rebus ipsis probatum Regem Diadematæ cingere, iusq, omne regni in eum transferre volunt? Principem & caput statuentes sua Reip: Christianum Regem, à quo velut fonte non solum omnium dignitatum principia ducantur, cunctaq, pendeant, sed & quem intueantur & imitentur sedulo. Principis namq, vita, exemplum est subditorum, & quodcunq, agit, præcipere videtur. Quid mirum, quod tot Electorū filij Principes illustrissimi, ac dynastæ potentissimi ad diem coronationis vel

ut ad

lut ad publicum communis lticiae actum proficiscuntur, atq; alij suos legatos prstantissimos homines mitunt? mihi credite res severa est, verum gaudium. Non id adfinitatis seu cognationis iure solùm faciunt, qua bonam adfert \mathfrak{G} excitat affectionem, sed ut præsentes ipsi, ac per suos mdatarios integerrimos homines alij Principes ac Reges, sincero pectore gratalentur Regi, quod vestigia maiorum ingressus, dignus tam augusto honore visus est: Ut gratulentur Christiano Regi ipsi Christiani principes, quod Religio-nis Christianæ studium adolescens suscepit \mathfrak{G} etiam num Rex inauguratus inter tot procellas, tot ærumnas, tot adversitates, Ecclesie defensionem de-serere nolit: Ut gratulentur genti Danica, quod at-ate quidem, sed non consilio, non prudentia adolescen-tem Regem Deus Rex cœli \mathfrak{G} terræ ipsi dedit, \mathfrak{G} beatitudine summa affectit ac ex alto visitauit Septen-trionem: Ut gratulentur toti Christianæ Reip: atq; Imperio Romano, quod Christiani aduersus commu-nem \mathfrak{G} hæreditarium omnium hostem socium quasi belli coniunctiss: \mathfrak{G} potentissimum robore, armis, milibus, ceterisq; rerum gerendarum neruis instructissimum habere possunt, qui \mathfrak{G} pia mentis intentione Deiq; suffragante fauore impia impij Tyranni consilia impedire, \mathfrak{G} regni sui opibus vires eius frangere posset, si res, si usus, si necessitas ita postulauerit.

E

Omitto,

Omitto, quas alij inepti homines inepte huic
regalis congregationis causas comminiscuntur.

Coniuinum regaliter instructū præberi hospitibus,
moris fuit antiqui, in tanto publico et solenni actū &
communi omnium subditorum gaudio. Sed quin moder-
ationis laudem obtenturi sint illi, qui Deum huic
actui præsentem adesse volunt, quine cum omnia con-
templari omniaq; scire non ignorant, non est dubium.

Quanquam verò in confinio virtutum vitia
versentur, tamen propterea, quod peccatum est leui-
ter non damnabimus heroas, quorum mens cœlesti
superinduta est virtute, & qui cuncta ad honesti-
cultum modestiamq; referre student. Quis un-
quam ex magnis viris tantus? qui rebus gestis tam
præclarus extitit, quin imbecillitatis humanae exem-
plum aliquod reliquerit? ut quamvis à Iove enu-
tritum Regem dicamus, hominem tamen agno-
scamus esse, cuius velut proprium est errare facile.
Miserecat ergo nos humanae naturæ imbecillitatis,
qua, ne in moribus quidem adeò in signibus et præcel-
lētibus deus efferre ad virtutem valeat labe vacuū.
Themistocles celebris ille apud omnes Græcos Imper-
ator, servator patriæ et auctor communis salutis ap-
pellatus, suo exemplo docuit, quod magni honores lau-
desq; immensa, etiam modestissimo cuiq; animi leui-
tatem & insolentiam adferant. Nam cum à rebus
geren-

gerendis cessaret, ocio & voluptatibus indulxit, atq; eò insolentia processit, ut se à quatuor nudis virginibus publicè in foro curru vehi pateretur. Cimon, Dux Atheniensium fortissimus, ob crimen incestus, quod cum propria sorore consuetudinem habuisset, infamis fuit. Miltiades, quod in Chersoneso tyrannidem exercuisset, malam de se opinionem excitauit. At verò hi nām quantumuis minimè probandi, velut res mali exempli, nihil tamen derogarunt memoria illorum Heroum, quin celebre eorum nomen apud omnes posteros maneat. Siquidem haud mediocriter magna aliquādo exorbitant naturæ, quæ ob subtilem ingeniorum vehementiam efficaciamq; quiescere non valent, sed velut in salo fluctuant, ante quam ad stabiles sedatosq; perueniant mores.

Sic quidem naturā comparatum est, ut quanto acutius mens videt, tanto, si aberrat, peccet iniquius. vis enim illa heroica in utramq; partem valet plurimum, ut vehementiores impetus habere censeatur teste Platone 6. de Repub: τὰς ψυχὰς οὐτω φῶμεν τὰς εὐφυεστάτες, παῖς παιδαγωγίας τυχούστας, διαφερόντας πακᾶς γίγνεσθαι, hoc est, Heroicæ mentes si bonam naçtæ non fuerint institutionem, indifferenter male effici solent. Sed qui tamen Dei metu, virtutis honore, & saluo pudore, omni loco & tempore subductam vitæ rationem ineunt, illi demum intelligunt, quemadmodum

in libera rerum potestate, iusticia modestia ac clementia partes tueri: in luxu & rerum abundantia temperantia laudem sectari: in omnium rerum copia liberalis & munifici munus exsequi debeant, ut si qua aduersa incidat fortuna minime consternentur: si secunda aura fortunae affulserit, minime ad sui impotentiam incitentur. Quemadmodum vero in ceteris rebus plus prudentiae curae solertia Principibus attribuimus, quos Diuini numinis cura regit; sic & maior in vino preferendo vis agnoscitur. Cyrus prater cetera se regno fratre magis idoneum praedicauit, propterea quod liberalem meri haustum ferret commode. Et Reges ac Principes solent multis urgere culullis, & torquere mero quem perspexisse laborant, canit Horatius. Plato I, de legibus non inscite dixit. Εαν ανον τῇ περιδέιαν εἴηται ἐν οὐρώ, hoc est, inquisitionem esse in vino & quandam disciplinam: vinum enim aperit cor, ut nisi magno usu confirmata sit in eo taciturnitas, facile effutiat quicquid nouerit. Nullum quippe secretum est ubi regnat ebrietas, ait vir sapiens:

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόντι τῇ ἀργυρῷ ἴδριες ἄνδρες
γνώσκοστοι, ἀνδρὸς δὲ οὐνοῦ ἐδείχεν νόον.

Interim vero abusus rerum non probamus, immo improbamus potius; in mentem singulis renocantes,
quod

quod Androcydes sapientia clarus ad Alexandrum
Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens.
Vinum potaturus, Rex, memento te libere sanguinem terrae: sicut cicuta homini venenum est, sic cicuta vinum. Quibus præceptis si ille optemperauisset, profecto amicos in temulentia non interemisset. Prorsus ut iure dici possit, neq; viribus corporis utilius aliud, neq; aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit. Hæc Plinius lib: 14. cap. 5. recitat. Læticæ ergò alia & gratiora præbet argumenta Christianus rex in hasti ludijs & in cateris virtutis probanda operibus, ut hospites fructum præsentem capiant. Iusta enim causa læticæ est, lætum amicum videre, iustior fecisse. Gratè ad nos peruenisse iudicamus effusis affectibus. Cominua talem viuendi rationem esse dicimus, quæ per vini usum in amicitiam desinat sub gratia lenocinio non si peccata peccatis accumulentur, & mors homini acceleretur propius. Sed cum omnia ad Diem coronationis ēx̄p̄ov̄s præpara sciamus, nihil tale cogitabimus, quod vel à pie- tatis laude vel ab honestis moribus sit alienum.

Iam porrò se totum Rex CHRISTIANVS conspiciendum præbet omnibus, qualis sit corpore, qualis animo, qualis factis ipsis heros laudatissimus. En quanta comitante caterua procedit Rex C H R I -
S T I A N V S ! vestis auro gemmisq; intexta,

quām pulchra ! quām decora ! Omnes qui antecedunt
sequuntur purpurati sunt, Palatini, aulici, viri
fortissimi et lectissimi. Ipsi autem Regij corporis vis
quanta in nerorum firmitate, in bona valetudinis
constitutione, iusta proceritate: regalem hæc omnia
præ se ferunt maiestatem, dignitatis augmento vi-
rium quoq; congruunt incrementa. Frons ia-
nua animi quām exorrecta ! Cestus, interioris affe-
ctionis indices, quid testantur? quid arguunt? quid
loquuntur? Rex hic est futurusq; est magnus, pius,
modestus, fortis, ut uno verbo dicam, magnani-
mus, Christianus. Corporis ergo lineamenta omnia
proba, integra, recta sunt. Animi notio constat ex
virtutis studio, cui Rex Christianus tantum tribuit,
quantum nulli alij rei etiam maxima. Quid? facta
desunt: minimè. Laudabiliter fecit, quod pietatis ac
rectæ religionis studio se totum certo amore dedit.
Sentire atq; sapere illustre aliquid & inclytum, non
ne pulchrum? nonne magnificentum? nonne honorabi-
le? Egregium profectò Christiani Regis factum
est, quod plus iusticia quam ulli priuilegio nobilita-
tis in submouendis è medio facinorosis hominibus, tri-
buendum censuit. Quæ autem per iusticiam pera-
guntur, illa habent diuturnitatem et facti et gloria.

Optimum hoc institutum est, quod stabilito thro-
no regni in iusticia & sapientia, has ipsas artes sibi
exercen-

exercendas proposuit. At sapere rectè est, Deum
veris cultibus honorare. Has artes, ut sapienter
singula disponat, instè omnia agat & dicat, exercet,
et exercebit recte, exercebit foriter, ut in ipsius ditione
pax & iusticia floreat: ut ciues sint opibus magni, mo-
rum innocentia præclari, fide pactionis integri. Com-
probat ergò Platonis waticinum. Malis ciuitates
explicatum iri, ubi magna potentia & sapientia co-
sent, secunda fortuna cum iusticia: Efficit item Rex
seremiss: ut extranei fide certa in suis regionibus
contrahere & certum tutumq; habere commercij ius
possint. Supplices item Rex audit libenter, & aures
in pedibus minimè habet, & nec quidem aduersus
improbos acerbos est, non contemnit humiliorem po-
tens. Sua cuiq; priuilegia confirmat: rectè secum
reputans, interesse Reip: quod usu necessarium est,
et dignitate eminere, utilitatemq; auctoritate muniri
debet. Ciuitates maritimas fide, gratia, auctorita-
tate sibi conciliat & deuinctas habet, & hoc rectè.
Cum agnatis propinquis et affinibus amicitiam colit
probè. Nec enim aureum sceptrum est, quod regnum
principibus conseruat, sed amici fideles regibus &
principibus munitissimum & tutiss: sceptrum sunt,
teste Xenophonte.

Sic plane comparatum est ut quanto quaq; rario-
ra sunt, tanto præstantiora bona esse videantur. Sed
quid

quid inter homines , quām eximium illud concordia
bonum colere ? quid rarius quām est fraterna concor-
dia ? O pulchrè ergò factum à nostro Rege Christiano ,
qui utrobiq; eam colit , cuius vim nouit maximam ,
quod ex paruis magna efficere , quod debilia firma-
re , & dimisa unire possit optimè .

Quanquam verò sole in vertice cœli existēte nul-
las corpus spargit umbras , & iniuria suprema re-
rum fastigia tenentibus hand nocet quicquam : ta-
men quin sua Regnum etiam florentissimum mane-
ant incommoda , sua mala , sua cum vicinis simulta-
tes , quæ ex diversis accidunt rebus , non est dubium .
nihil enim est ab omni parte beatum , & regna , ceu
unus homo beatam vitam ex virtute , ex ciuili con-
cordia demum veram habent felicitatem . Itaq; rex
Christianus , propitiante Iehoua , vinculum concordiae
tām domi quām foris retinendum prudenter censet .
Certè laudabile institutum est . Nam arduum est
eodem loci potentiam & concordiam consistere , nisi
magno studio enitaris . Et cultæ concordia ma-
gna succedit utilitas . Neq; enim reperio , quod in re-
bus humanis excogitarit natura præstantius amicitia
quod contra fortunam maius concordia auxilium .
Et quidem bonum voto maius consequitur Rex po-
tentiss; : ut nempe in fide & subiectione suorum homi-
num tutò acquiescere possit , ut vicini populi sua spon-
te ac-

te accurrit, quos regis auctoritas mouet præcipue, hoc
regni propugnaculum quis non existimet firmissi-
mum? puto fore neminem. Duo quippe Principi cu-
randa sunt diligentissimè, ut domi sit concordia, foris
in bellis gerendis fortitudo, et utrobiq; prudentia, ait
Vell Paterc: historicus sapientiss:

Sic verò Christianus Rex noster suos homines,
Danos fortiss: & integerrimos homines, non solum
homagio sibi præstito, sed & benevolentia erga se
summa deuinctorum habet: sic promptos studijs, officijs,
armis, virtute, industria, ut vitam suam & omnia,
qua; habent charissima, pro salute patriæ, pro digni-
tate Regis profundere sint paratiissimi. Nec enim iij,
quos necessitas seruire cogit, sed quos obtemperare sua
quemq; volūtas adigit, sunt in agendo patiendoq; à su-
spicione omniq; assentatione vacui, nunquamue impe-
ria detrectant, nisi violenter cōtumeliosq; sint habiti.

Sic initio Regni suscepti suam instituit Remp:
Rex Christianus, ut non casu fortuito sed certo indi-
cio: non pro generis splendore sed pro virtutis honore:
non uti libuit, sed uti licuit, amicos & consiliarios si-
bi eligeret & in Senatum regni cooptaret præstantiss:
homines, ut cum maximus principis thesaurus in
amicorum fide consistere dicatur, eum habeat &
maximum & locupletissimum. Quia ibi erit sa-
lus, ubi multa consilia sunt.

Apud ceteras gentes barbaras sic usq; comparatum acceperimus, ut quemadmodum Geometrae petitiones, velut certa & indubitate principia sibi dari postulat, ut ijs concessis ratio sua assertionis constet, sic Barbarorum Reges regnum se aliter securum & tranquillum obtainere posse diffidunt, nisi fratres suos velut Regni amulos vitaq; vt putant, insidiatores e medio tollant. — Fratresq; necare Ludus. O impia, et infanda sententia! o Deo ipsiq; naturae contraria institutio!

Quid vero amabilius fratre? quid iucundius? natura quid coniunctius dedit? ex eodem sanguine ortus, ab eiusdem Patris anima tractus frater quasi alter tute ipse est. Amicum queris alium benevolentiorem charioremq; quam natura quem dedit, quem nexus sanguinis commendauit, quem coniunctus ratio explorauit? falleris. Dic queso quando tecum cogitas, quomodo sub eiusdem matris corde uterij vos sati & alti iacueritis, quae res tanti momenti, quid adeò magnum & eximum est, quod hoc vinculum disrumpere valeat? nisi hominis accederet improbitas. O dementes homines, qui secum non perpendunt, frustra se sua opera querere amicos alios, consanguineum fratrem qui negligunt! O miseri, qui leui de causa & prope nulla vinculum nature arctissimum & sacrum conuellunt! non perpendentes, quod odia proximorum non habeat regresum.

Nam

Nam quacunq; nexus accepere naturæ, & quæ sanguine et visceribus constricta sunt, non laxantur di-ducta, sed pereunt.

Cause ergo, caue diligentissimè, ne dissidia oriantur inter te & fratrem. nam cum fratres ex naturali vinculo exciderint, haud facile conueniunt: & si conuenerint, putrem tamen & suspectam cicatricem ipsæ dissolutiones attrahunt.

Itaq; meritò nostrum Regem Christianum lau-damus, suspicimus et admiramur, quod ea suauitate fratrem suum Dn. Vldaricum ceterosq; Germanos amat, ut se alterum impensis amare nō posset, sic colit, ut Principem Rex eum sibi parem habeat: sic promonet, habet & fouet, ut preter solium regni omnia fratri permittantur. Atq; domino Vldarico Principi Illustri: Heredi Norvegiae, Duci Holsatiæ, &c. ea inest modestia, ea erga Regem fratrem reuerentia, ut nihil sibi licere putet, quam quod iure Regni & pactio-nis licere posset: nihil sibi usurpet aut assumat, quam, ut est à gratijs & Muisis edictus: quod lex sancit, honestas permittit, pietas suggesterit. Mili à Deo & cælo Venus quadam & gratia comitari ac subsequi talem virum Principem videtur, qui, quam animo vim generosam continet, rebus præclarè stgeis ali quando demonstraturus est elegantissimè.

Hoc exemplum concordia fraternæ inter rariissi-

ma quæ in historijs legimus exempla meritò referimus.

Scipio minor cum in domum locupletiorem Afri-
cani à Paulo AEmilio adoptatus esset, hereditatem
patris fratri concessit solidam. longè augustinus &
præstantius fraterni amoris pignus esse cæteris rebus
omnibus existimans rectè.

Dario mortuo cum quidam Arimenem natu maxi-
mū regnare vell'et, alij Xerxem, quod ex Atossa matre
Cyri filia natus esset. Arimenes igitur descendit ex
Medis nō hostiliter, sed quasi ad iudicium quietè. Xer-
xes aut̄ præsens Regis obibat munia: veniente autem
fratre, posito diademeate demissaq; tiara, quam rectam
ferre solēt Reges, obuiam illi processit ac amplexus est:
et mittens illi dona iussit eos qui ferebant dicere. His
te nunc honorat frater, si verò Rex iudicio calculoq;
Persarum fuerit declaratus, dat tibi ut secundus post
cum sis. Et Arimenes, ego vero, inquit, dona suscipio.
Persarum autem regnum mihi arbitror conuenire,
bonorem post me fratribus conseruabo. Cum autem
Artabanus, quem Persæ huius rei indicem elegerant,
Xerxi regnum competere pronuntiasset, Arimenes
statim exiluit fratremq; adorauit dextraq; appre-
hensum in regum collocauit thronum. Ex hoc in
maximo fuit apud eum honore seq; illi exhibuit bene-
uolum, ut fortiter pugnans in nauali circa Salaminiem

minem certamine pro illius gloria ceciderit.

O suauitas quanta! ô quanta tranquillitas in animis, in imperijs, in studijs, fratres si sunt concordes! Et qui, ut Molionidae illi corporibus concreti erant, sic illi institutis et animis sunt coniunctissimi. Qui equitate quam sanguine: causa quam arnis parta et relicta a maioribus erescere et retinere malunt: Vesta ergo vis et gloria, fratres laudatissimi, in integro est, addita modestia et fama; qua neque summis mortaliuum spernenda est, et a Deo estimatur.

Facile accidere potest, ut iurgia inter necessarias etiam personas ex leui plerumque causa existant. Teneendum igitur est Pythagoræ præceptum, qui suos monebat discipulos, ut si quando ira commoti ad mutua conuictia processissent, ante solis occasum dextris iniuncem datis osculatiique se mutuo rem componerent. Sed quid Pythagoræ hoc dico præceptum, ut refert Plut: de amore fraterno, ipsis D. Pauli est ad Ephesios 4. versic: 26. Sol non occidat super iracundiam vestram. Sanctum ergo et omnino sequendum hoc præceptum est quod a S. S. per vocem D. Pauli propositum agnoscamus.

Rex Indorum cuidam ex famulis suis schedulam dabat cum hoc mandato, ut sibi eam scedulam ostenderet quotiescumque irasceretur. In ea perscriptum erat. Remissum te prebe, non enim Deus es, sed ho-

lmo, cuius pars partem absumet & corpus a vermis
& lumbricis corrosum in puluerem redibit.

Quid? facta nondum egregia hic laudatiss: Rex
præstít? qui eximia cum laude multos Reges, Prin-
cipes ac dominos terrarum exsuperasse videtur. Fecit,
qua etatem, qua fortunam, qua dignitatem decent
regiam, nihil deinceps quoq; indignum fakturus. Sic
planè fore nobis persuasum habemus.

Hæ sibi erunt artes, quibus haud præstantior alter,
Intemerata fides, justicia & pietas.

Nam virtus nisi sibi homogenea sit similisq; sui
perpetuè maneat, suam propriam laudem non retinet.
Quandoquidem verus honor, non in titulorum am-
plitudine, sed in rerum gestarum magnitudine: non
in verborum inani cumulo, sed in hominum vero iu-
dicio consistere solet.

Dicerem plura, sed temporis ratio prohibet prohi-
betq; meus me pudor, ne scilicet dñ de virtutis hono-
re accuratè dissero, indoli ac virtuti serenissimi Regis
diffidere videar: quod planè de me suspicari quen-
quam nolim.

Reliquum nunc est, cum ex felici Regni Danie
gubernatione uicinitatis bonum, hoc est, pacem &
tranquillitatem iusq; commercij liberi speremus, ut
coniunctis votis & ardentí gemitu precemur, ut optimus max:
ille Deus, qui hunc Regem populo regnoq;

Danæ,

Daniae & Noruegiae dedit, eum regat ac doceat benignè: ut Emanuel noster Iesus Christus nomen ex eius nominè tractum Rex sereniss: refert, cooperante spiritu sancto, mentem optimi Regis illustret & gubernet, ut in via veritatis & iusticia toto vita regniq; sui tempore ambulare possit.

Hec nostra vota, has preces publicas Christianæ dilectioni consentaneas gratias fore Regi Daniae, gratias item Illustrissimo nostro Principi, ac Domino Dn. Vldarico &c, non ambigimus, cui opt: Principi sem maior hanc alia potuit accidere, ut opinor, voluptas, quam quod nepotem ex filia Regem & in Regni solo collocatum videt, eiusq; veras laudes in sua Academia decantatus fuisse audit.

Specm senectutis nutriculam dixit Pindarus, at hæc sincera voluptas optimo nostro Principi ac domino vitam prorogabit ad multos annos felicissimam.
Atq; ut vita dator & propitiator Iesus Christus, quem ille unice precatur, omnime colit, amat sincere, dintissime nostrum senem Principem Illustriss: &
Opt: saluum et in columem conseruet, nobisq; hoc bono publico, quod ille Princeps vivit, quod suos homines in pace, iusticia & veritate regit, quod miseros protegit, quod Musarum gratiarumq; chorus & decus in sua dilectione viget, quod puritas doctrinae Christianæ flo-

na floret, remota omni superstitione idololatria longissimo adhuc tempore & deinceps semper uti frui finat,
tām sedulō nos omnes precari decet, quām
id necessariō fieri publica utilitas postulat & persuadet.

D I X I.



AD
SERENISSIMVM ET POTEN-
tissimum Daniæ & Noruegia Regem,
CHRISTIANVM QVARTVM,
Pridie Coronationis ipsius à nobilissimo viro
CHRISTOPHORO STVRCIO,
I. U. D. & Historiarum in Acad: Rhodopoli-
tana Professore eximio;
Panegyrico decoratum.

Hristiade patrij solium inuiolabile Regni
Cōscendēte, Iovae dono; NORVEGIA pigro
Candida sēpē gelu, SELANDIA, Scania, voces
Ult tollunt, & læticia super æthera iactant!
Ipsaq; percussis spūmantia litora Ponti
Fluctibus applaudunt, & plausibus aëra complent?
Nos quoq; qui Cimbris colimus vicina Roseta,
Addect in Regis cunctas assurgere laudes.

Quis non CHRISTIADAS, FRIDERICOS, lumina Mundi,
Virtutemq; virosq; & fortia pectora nouit?

Ergo CHRISTIADAS, FRIDERICOS,
lumina Mundi,
Virtutemq; virosq; & fortia corda diserto
STVRCIUS ore canit, Natumq; per omnia ducit
Majorum monumenta catus, monumentaq; Patris.

Tu mihi, seu precibus cœli jam templa fatigas,
Siue humeros nudus, sacro perfusus oliuo,
Regali caput incingis diademate; siue
Aëre libratum telo, celer, excipis orbem,
Terribiliq; tubæ sonitu perstringeris aures,
CHRISTIADE, Regum perfulgida stella, coruscis
Arctōum irradians, Heros, virtutibus orbem:

G

Huc

Huc roseos ad præclari vicina Roseti.
Pulpita torque oculos placidus, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi STVR CIVS, illud
Delicium Themidos, & Nobilitatis ocellus
Ille, tibi laudum immortales erigit aras.
Ille tibi casiam, ille & purpureum Narcissum,
Et myrtum jungit: jungenti applaudere Varnum
Aspicias, plausumq; suos editcere cygnos
Mandantem tu, CHRISTIADE, modò tempora circū
Victrices inter galeas sine serpere Myrtum.
Sic tibi d: pateris vinum fundemus, & ista
Semper erit Varnæ rediens Lux candida Musis.

Ioannis Simonij
πεσφάνημα.

AL IV^D.

CHRIS DIA D AE regis laudes atq; omnia regni
Dum facis Aonias tu resonare domos.
Inq; virum coetu, mediâ juuenumq; coronâ
Facundâ Varni litora voce reples.
Audijt hoc Rex ipse: atq; hæc encomia reddit.
Præcone hoc melior quis mihi præco foret?

M. Martinus Braschius.
Logices Professor.

AL IV^D.

M Agnanimi in regis dum tu laudem ora resolvis
Sturciade, ingenio maxime, & eloquio,
Obiupui, & mecum docta illa corona virorum,
Et juvenum, Rosa quotquot in urbe vigent.
Quam benè conveniunt rex dignus laude perrenni,
Laudatorq; pari maximus eloquio?

M. Eilhardus Lubinus,
Poesios Professor.
HONO-

HONORI REGIS
accedit quicquid habet & est
*Christophorus Sturtius, I. V. D. vir nobis-
lis Liuonus Professor Historiarum.*

Anagramma.

*Plus viro sis orator, portus virtutis fidus
Iuris, cor boni, flumen oris.*

QVælibet eloquij Cicerone; protulit ætas,
Gloria virtutis semper honesta fuit.
Sidera justiciæ totum fûlsere per orbem,
Sunt, calor ingenuæ quos probitatis agit.
Relligionis amor mendacia frangit ini qua,
Hæc, quæ quin p refert numina, terra viget.
Felix Roitochium: nam pectore STVRTIVS uno
Tot Genij dotes, tot pietatis habet.
Dotibus eloquij Ciceronem spirat honestis;
PLVSq; VIRO ORATOR SIS vir & ore pius.
Eloquo Regis, quo Dania lata triumphat,
Virtutes, regni fati tatara vehis,
Eloquij vivo siliens oratio cultu,
Lætitia traxit docta Lycea sono.
Edocuit, memorans proauos ativosq; parentes
Intrepidos, trepidum non generare genus,
Dignus Rege labor: Regis res digna fuore:
Exaltata Ducum gloria laude viget.
Crescat, honoret, amet, famâ Rex motus auorum,
Imperio, superos, tradita sceptra sibi,
Tu meritas Regum victuro nomine laudes
Sarge, nec incoptum desere laudis iter.
Ipse metes virtus: virtutis amore teneris;
VIRTUTIS valido robore PORTVS eris.

Ipsa Themis : vitio pœnas das præmia justis.

Irradias IVRIS nobile Sidus humum.

Corde bonus : rerum gaudes bonitate bonarum;

Cor maneas, annos Numine dante, BONI.

Verba probanda probas, mendacia cæca repellis.

Orbis Iamen eris, FLVMEN ET ORIS habes.

Vt numerus numerum superat quinarius vnum:

Sic alios solidâ STVRCIVS arte viros.

Iohanns Melinus, Niggeniesekensis.

VWestph:

HONORIS REGII,
Concinna oratione celebrati,

Musarum

Congratulatio.

Commemoranda diu, celebriq; peracta triumpho,
Cùm Lux ingrueret, regalem ritè coronam
Supremo Daniæ Capiti quæ imponeret: ecce
Phœbus cum Musis venerandus in urbe Rosarum
Aonij cætus & conglomerantur alumni:
Musarumq; sacer Præses sic ore profatur.
Gaudia testari plaususq; movere canoros,
Gratariq; Danis, fausto quod sidere natum
Nacti sint Regem, & varijs virtutibus auctum;
Proq; coronando nos vota effundere Rege;
Fas est: idq; Danis Regi debemus & ipsi.
Prosperitas vicina movet, confinia suadent;
Ipsaq; jure suo Virtus generosa requirit,
Quæ in Rege hoc clare, cœu lucida gemma, resulget.

Virtu-

Virtutes patrias sequitur quia passibus æquis :
Quid ? superare suis benefactis certat easdem.
Justiciâ Regnum, pietate oblestat Olympum.
In summa, a Christo velut appellatur, eundem
Sic retinere studet vitâ imperioq; benignum.
Hinc sibi conciliat nomen laudesq; perennes,
Et stabilem Regni ventura in tempora sedem.

Idcirco doctæ, mea suauia pignora, Musæ,
Deliciumq; meum, juvenesq; viriç; celebres,
Qui sub vexillo facitis stipendia nostro ;
Ex vobis unus meritæ præconia laudis,
Regis in illius decus ornatumq; sonabit.

Ecce hîc si sito virum Legum linguaeç; peritum,
Cuius in ore lepos, in mente scientia degit.
Eia age, Sturciade, Legum clarissime Doctor,
Dux tibi doctrina est, comes est oratio suavis.
Tu, veluti Regem colis, admiraris, & ipsum,
Ob varias dotes, ad sidera laudibus effers ;
Sic nunc illius laudes modulare decusq;
Quando coronandus jam jam diadema subbit.
Eia age, Sturciade, facundum concute pectus,
Præsentemq; chorum recrea sermone polito.
Dixerat hæc Phœbus. mox Sturcius ora resoluens
In voces lepidas suggesto effatur ab alto.
Ordine legitimo Doctorum docta corona
Turmatimq; cohors replet studiosa Lyceum.
Aures arrectas oculosq; intendit acutos.
Quisq; in dicentem, permulceturq; loquendi
Vi prompta, ingenij bonitatem & demiratur.

Nativis Regem propè namq; coloribus ipsum
Exprimere est visus, verbis gestuq; decoro :
Non secus ac Regem vivum proferret, apertè
Indole reclusâ referatâ & mente, videndum.

(Credo equidem pictor non sic depingere vivam
Naturam Regis vel formam educere posset.)
Rege & in exhibito felicia quæq; spopondit.

Tale coronando tibi, R E X, optabilis Heros,
Sertum *Sturciado* facundia docta parauit,
Virtutesq; tuas, quas nulla obnubilet ætas,
Concinno eulogio Roseâ celebravit in urbe.
Maioresq; tuos, Danicæ sacra Lumina gentis,
Laudando graphicè nostra hæc ad secula reduxit.
Magnificosq; viros aliquot celebresq;, Danorum
Se quibus Imperium multum debere fatetur,
Promeritâ (reliqui veniam date) laude citauit.

Ergò inuiete Heros, qui extensa soloq; saloq;
Sceptra tenes, Roseis placido vultu annue Mutis.

Altitonans, vitreum qui Rex moderatur *Clym pum.*,
A quo protperitas Regis Regn:q; redundat,
Quiq; pios Reges creat afflatusq; coronat;
Ille facri Regem te chrismate Flaminis ungat:
Ille tuos astus, vitam affectusq; gubernet:
Ille tuos servet gressus in tramite recto:
Semper ut Imperium felix te Reges triumphet.
Porro tui Imperij longæua in secula salutem
Promoueat, Soliumq; tuum felicibns ornet
Consilijs, firmetq; pio virtutis amore;
Ut sacra verba Dei vigeant, animetur & æquum,
Jugiter ac placids concors pax aduolet alis.

Conradus Haslagius
Osnaburgensis VVestph:





XVI, 78



XVI, 7779 and



Adlegat
XVI, 77-79

77

